



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Conciones R.P. Ludovici Bourdaloue è Societate Jesu**

Habitaë per Adventum Coram Christianissimo Rege Ludovico XIV.

**Bourdaloue, Louis**

**Augustae Vindel. & Dilingae, 1716**

**VD18 80038840**

In Dominicâ I. Adventûs: De Judicio extremo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68973)



IN  
DOMINICA  
PRIMA  
ADVENTUS  
CONCIO.

*De Iudicio extremo.*

Erunt signa in Sole, & Lunâ, & Stellis,  
& in terris pressura gentium . . . . are-  
scentibus hominibus præ timore & ex-  
pectatione quæ supervenient universo  
orbi. *Luc. 21.*

REX CHRISTIANISSIME



His monstris, ac prodigiis Cæ-  
lestibus quæ sunt à Christo  
prædicta, & formam nobis  
exhibent commutationis ma-  
ximæ stupendæ, initium habeat necesse  
est horrenda illa Orbis Catastrophe *Erunt*  
X 2 *signa;*

*signa* ; in Cælo utique ac terris. Signa veneranda quippe quæ notata à Christo præfagia sunt ; velut certa , supremi sui Adventus Signa salutaria , iis enim ille idem est usus , ad fidem nostram , gravi veluti veterno torpentem excitandam. Signa formidolosa ; quorum ad conspectum non homines solum arescere oportet sed & *virtutes Cælorum moveri.*

Luc. 23.

Constant hæc omnia , inquit Chrisostomus ; at enim signa illa tametsi veneranda ; tametsi salutaria , tametsi formidolosa , quidam erunt duntaxat apparatus , rei cogitatione nostrâ longè gravioris ; longèque magis metuendæ. *Judicium dico extremum ; Christiani Auditores ; de quorum verba apud vos ut faciam ; postulat muneris mei ratio.* *Judicium ;* cujus , vel sola recordatio , viros sanctissimos perterrefecit ; Unde & justissimus quisque ; si Apostolo Paulo credimus , vix salvus evadat. *Judicium ;* cujus æquitatem , ac sanctitatem ut defendam hodierna die , in quo fundari potissimum debeat summa ipsius & inevitabilis severitas , demonstrare agredior. Adsis defensori tuo , DEUS optime , maxime , & ad argumentum tam solidum , tam grave , ut par est , pertractandum , necessarias vires suppedita. Sed debitam verbo tuo docilitatem , & obsequelam his auditoribus meis simul  
ima

imperti. Nullum enim ratiocinationis  
meæ tenuitati locum hodie daturus, in  
verbo tuo hære, verbum tuum unum,  
in eorum omnium, quæ dicam, proba-  
tionem, afferre constitui. Fac, ut tam  
necessaria cognitu res, divino tuo spiritu  
benignius afflante, eorum corda, qui  
mihi aures præbent, tantum afficiat,  
quantum & potest, & debet. Præsi-  
dium, in id, tuum, opitulante Virgine  
Deipara, supplex imploro.

*Ave Maria.*

**D**EUM, qui suprema est, & nulli obe-  
diens natura, omnia sui ipsius causâ  
fecisse, fides Catholica docet. *Universa Proverb. 16.*  
*propter semetipsum operatus est Dominus.*  
Eadem & fide constat, DEUM, de supre-  
mo suo dominio nihil derogantem, cun-  
cta etiam, Electorum suorum gratiâ, mo-  
litum esse. Cui rei omnino consequens  
est, inquit Chrysostomus, duo illa dum  
explanat doctrinæ Christianæ capita, eun-  
dem, cum universum hominum genus ju-  
dicare constituit, duo potissimum spectâs-  
se; alterum, ut suum sibi, alterum, ut  
Electis item suis, quod ipsorum est, tri-  
bueret. Necessaria utique consecutio, in  
qua insistere placet, utpote quæ gravissi-  
ma & maximè accommodata visa est,  
ad solum utilissimæ huic concioni veluti

*Luc. 21.*

*Ibid.*

sternendum. Ordinem illius ac partitionem accipite. DEUS gloriæ suæ studiosissimus defensor, iudicium de hominibus olim pronuntiabit, ut sibi ipse quod suum est tribuat. Hinc, quoniam Christus, ut DEI filius, ei iudicio præesse debet, cum cunctis aderit supremæ potestatis & maiestatis insignibus. *Venit cum potestate magna & maiestate.* Hoc primum. DEUS in promissis suis nunquam non fidus, iudicium de hominibus pronuntiabit, ut electis, quod suum est, tribuat. Hinc Christus ad discipulorum animos, excusso metu, erigendos & confirmandos, summam illam diem semper ante oculos proponebat illis, expectare eam iubens, ut malorum omnium finem, & sempiternæ beatitatis initium. *His autem fieri incipientibus. respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Hoc alterum. Capita duo, quæ quod est in divino iudicio præcipuum, ac peculiare, complecti mihi videntur. Cætera omnia, quamquam valeant terrori incutiendo, si modò aliquis superat in nobis religionis sensus, illius tantùm dicenda sunt veluti præludia quædam. Sed cur terribilia & videntur, & sunt illa divini iudicii præludia? geminas ob causas quas attuli. Quoniam iudicio terminari debent, in quo DEUS, quæ sua sunt ultimùm

mum reddet. Quoniam ea, judicium subsequetur, in quo, Electis reproborum malo & damno, id omne quod suum est palam tribuet DEUS ac plenè. Hæc duo si tollas, non subita solis obscuratio, non stellarum casus, non cætera signa, instantis judicii prænuntia, quicquam habeant, vel ipsis hominibus nequam, valde formidandum. Hæc duo si tollas, illam mundi hujus aspectabilis everfionem, quæ *Filii hominis adventum* antecedit, animo expectem valde sedato. Habere autem subeundum judicium, in quo & se ipse, & Electos suos vindicet DEUS, cum ingenti reproborum ignominiâ, hoc enimvero, Christiani Auditores, & assidua meditationi, & terrori nostro materiam amplam suppeditat. Duplex illud Christianæ fidei caput, ex Evangelio depromptum, ut percipiatis, aciem mentis, quæso vos, intendite. Est judicium subeundum, in quo DEUS, & quantum meretur, & quantum fieri potest, est vindicandus. Est judicium subeundum, in quo Electis, illatæ à mundanis hominibus injuriæ, quàm plenissimè & apertissimè fieri potest, & debet, sunt vindicandæ. En hujus Concionis partitio & scopus, ad quem dum contendo, peto à vobis & precor, ut aures mihi vestras patientes & attentas commodetis.

*Math. 24.*

PARS. I.

CUM eò pervenerit hominum iniquitas, ultra ut progredi non queat, tunc demùm aderit dicta cœlesti vindictæ dies.

Cap. 40.

*Veniet dies ultionis*, inquit Jeremias; ac quoniam ipsorum criminibus cumulus erit additus, DEUS, qui, ad hoc usque tempus,

Ephess. 2.

*dives fuerat in misericordia*, horrendam vitiorum omnium sentinam jam non sustinens, sibi ipse quod suum est tribuere incipiet. Ab eo quippe formidolosi hujus judicii necessitatem repetit Psalter Regius.

Psal. 73.

*Exurge DEUS & judica causam tuam.* Ita ille, divinæ gloriæ studio succensus. *Me-*

Ibid.

*mor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt totâ die,* Reminiscere injurias, quas tibi intulere toties, nec interre desistunt homines improbi, ne æternam illi impunitatem ac licentiam habeant. Quibus verbis ostendit, qua in re potissimum judicii hujus severitas ponenda sit; unaque maximè vividam illius speciem in animis nostris effingit. Exurgat DEUS causam ipse suam judicaturus. Acceptas injurias generatim & universe recordabitur, sed eas privatim, quas ipsi inferunt homines quidam gnaviter & insolenter impii, certi cujusdam generis ganeones, quorum improbitas, cum publicâ conjuncta est offensione, habentque hoc proprium ac peculiare, ut

ut ipsimet D E O superbius insultent. Excitamus igitur ista duo, Christiani auditores, atque ex iis colligamus fide, quam profitemur, digna documenta, sed ea præsertim quæ salutarem ad usum revocari possint, & ad morum, nostrorum conducant emendationem. *Exurget D Eus,* causam ipse suam iudicaturus. Nimirum præsens in tempus curam hanc aliis demandat. In tribuendis gratiæ suæ donis, in dispensandâ per *bonos* pariter ac *Math. 5.* *malos solis sui* luce dum est occupatus, iura sua facta & tecta conservanda iis relinquit, qui rerum potiuntur. Eam in rem quosdam voluit principatum inter homines tenere; est enim Princeps, auctore Paulo, supremi Numinis vindex. *Rom. 13.* *Nec sine causa gladium portat,* illum siquidem distringere is debet. DEI magis causâ, quam sui. *Ibid.* *DEI minister est vindex in iram et qui malum agit.* Quot sunt in terris Reges, quot Magistratus, quot Rectores, quot Antistites, quot iudices, tot sunt divini juris custodes, tot divina causæ defensores & patroni, & ab ipso DEO constituti. Si contumeliosæ in eum voces jactantur, si Religio proculcatur, eorum est præstare flagitia illa, meritasque pœnas fontibus irrogare. Sacerdotes enim inquit Chrysostronus, vi potestatis illius, qua peccata vel retinent



Isai. 5.

vel solvuntur, in sacro sunt pœnitentiæ tribunali, ut DEI causæ, & sacratissimi ipsius juris arbitri; talémque potestatem eum tribuit illis DEUS, dixit, & citra exceptionem ullam dixit, *judicate inter me & vineam meam*; hoc est, judicate inter me & populum meum. Inter me, & eos homines, qui ad pedes vestros abjecti, flagitia vobis aperiunt sua, Cogite illos de iis ritè mihi satisfacere. Aequas peccatis pœnas ipsis injungite, Quæcumque solveritis in terris soluta utique erunt in Cœlo; verumenivero dum illo munere fungimini, videte etiam atque etiam, & considerate causam meam & ipsorum, sed multò magis meam à vobis judicari. *judicate inter me & vineam meam.*

Inde etiam est, quòd ubi de nostrâ cum DEO reconciliatione agitur, judices nos, quamquam in nostrâ causâ, haud recusat & abnuit. Pœnitentiam enim hominem flagitiosum obire nihil aliud est, quàm DEO, quod DEI est, ab homine, damno etiam suo, tribui. Quasi DEUS dixerit, ut re quidem ipsa dixit, quod meum est tribuite nunc ulterro vosmetipsi, neque fatalem illam, iræque meæ destinatam diem expectate, qua die jus ipse meum à vobis invitis, repetam necesse est. Cùm multa à vobis pecca-

peccata esse in me conscientia vestra convincat, sacro gloriæ meæ studio contra vosmetipsos exardescite, damnate vosmetipsos, vosmetipsos ultioni meæ, ne à me judicemini, maclate. Hæc enim lata ab eo conditio; unde colligebat Apostolus, si æquam in nos sententiam ipsi feremus, nunquam à DEO ferendam in nos esse. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Ita, inquam, nobiscum DEUS, causam suam, quoad vivimus, nobis permittit. Sed quid fit? id ipsum utique, Auditores Christiani, quod satis, pro materiæ gravitate, lugere ac deplorare non possumus, & divinæ, in extremo judicio, severitatis, certissimum nobis præsagium esse oportet. Nimirum illa DEI causa, hominum judicio sic permissa, quotidie, quæ ipsorum infidelitas est atque socordia, indignum in modum tractatur & agitur, molliter defenditur, deseritur turpiter, ignavè proditur. Rem ut apertius eloquar; quot scelera etiam infanda tolerantur, quæ partim negligentia, partim oscitantia, partim vitiosâ prudentia, partim eorum corruptelâ ac prævaricatione, ad quos attinebat ea plectere, & erant in id à DEO constituti; quot sacrilegia, quot scandala, quot abominanda vitia, quot flagitia monstruosissima, maximè

1. Cor. 11.

ximéque hominum generi pudenda, quorum autoribus, non sine Christiano Religionis probro, est impunè. Quot impii, quibus non solum indulgetur, ac mos geritur, sed & observantur ac coluntur; qui vel ex ipsa sua impietate laudes & plausus auferunt, & hæc omnia in supremi Numinis contemptum? sit offensus quispiam è principibus viris; ut ei satisfiat, omnes unà conspirant, nec ulla sat prompta satisfactio, quæ levissimam injuriam sarcire valeat. Solius DEI offensa agitur? frigere hîc videas & languere omnia. Quantumvis officii ratio moneat, comprimendam esse impietatem; ubi agitur DEI unius causa, siletur, comperendinatur, moræ nectuntur aliæ ex aliis, inflecti se jura ac perfringi sinunt: habetur personarum ratio. Quid tum inde? audacior facta impietas, frustra reclamante legum sanctimoniâ, sacrilegium caput altius extollit. Ubi nunc ardor ille cœlestis quo flagrabat Regius vates, & quo flagret necesse est quisquis Christiano nomine videri vult haud indignus? ubi est, inquam, ardor ille, cœlestis, & apud quos viget? quoties cedere cogitur profanæ sapientiæ? quoties vano infringitur hominum respectu? dicamne? in sacro ipso pœnitentiæ tribunali, sæpe DEI causa non minus peric-

periclitatur. Quot obrepunt in eam abusus; qua plerumque absolvuntur facilitate homines flagitiosissimi, & in flagitiis suis maximè obfirmati? quæ non habetur ipsorum ratio? quam plandè ipsis palpatur à sacerdotibus, dum se eorum vitiis accommodant? agebatut olim cum Christianis, eâ disciplinæ severitate, qua DEO satisfiebat cum peccatoris incommodo: nunc eò res rediit, ut omnium optimè confessarii credas partibus illum fungi, qui cum DEI injuriâ peccatori indulget. Crescente hominum nequitia, mitigatus est Christianæ pœnitentiæ rigor. Si conferatur cum primis ferventis Ecclesiæ temporibus, quibus illa florebat, infœlici quadam præscriptione, pœnitentiæ illius umbra tantùm quædam & inane simulachrum videatur. Vix aliqua superant vestigia canonum illorum! quibus ob peccata hodie crebra ac penè quotidiana, annuæ pœnæ, eæque rigida injungebantur. Idem tamen DEUS qui quondam. Jura ipsius æterna & mutari nescia, eadem semper manent. Sedenim nobis ipsis, Auditores Christiani, non aliis tribuenda est illa severioris disciplinæ mitigatio. Nobis, inquam, quorum improbitas obstinata, Christi ministros quodammodo perpellet, ad eam indulgentiam, quæ nobis

crimi-

Crimini magis , quàm illis est olim dan-  
da , & ad æternam animæ nostræ perni-  
ciem evadat necesse est. Nos , arte  
non unà , ipsorum zelum enervamus ,  
constantiam infringimus ; nos , vel in-  
vitos , ac renitentes cogimus , viti-  
orum nostrorum fautores fieri , atque ad-  
eò primi ac præcipui sumus divinæ causæ præ-  
varicatores dicendi.

*Psal. 72.*

Eam ob rem , quod jam dixi , DEUM ,  
ut causam ipse suam defendat , Vates Re-  
gius hortatur his verbis ; *exurge , DEUS  
judica causam tuam.* Fac eam , Domine ,  
per te ipse , defendas nec eas partes alii  
committe. Hactenus , ut es , *Patiens at*

*Psal. 7.*

*fortis DEUS* , mira sivist tranquillitate ,  
ab iis ipsis jura tua prodi , quos eorum  
patronos ac vindices esse oportebat. Jam  
tempus est , tot ac tantis malis finem  
imponere. *Ademor esto , improperiorum*

*Ibid.*

*tuorum , eorumque ab insipiente sunt totâ  
die.* Memor esto rem tibi esse cum rebel-  
libus , qui sanctissimis tuis dotibus dum  
abutuntur contra te ipsum , patientiam  
tuam , inertiam , fortitudinem tuam ,  
imbecillitatem interpretantur. *Exurge ,  
& longam illam cunctationem ac tardi-  
tatem , non prohibere , quin tibi id  
omne quod tuum est , plenè tribuas ;  
ostende.* Hoc ipsum est Auditores ,  
quod

quod fiet à supremo giudice DEO. Quis istuc asserit? DEUS ipse his verbis, non minus formidolosus, quàm vehementibus.

*Deutr. 32.*

*Si arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis.* Quasi dicat: cùm supremam iudicandi potestatem, hominibus, qui eã abutuntur, ademero: cum ea tandem receptã uti incipiam per me ipse; Cùm arripuerit iudicium manus mea, tunc enimverò jura mea recuperabo, tunc causa mea victrix erit, tunc immisericordis illius, quam dudum spiro, vindictæ pondus efficiam ut hostes sentiant. *Reddam ultionem hostibus meis.*

Hinc fatalis illa lux, supremo Judicio destinata, *Dies Domini* apud prophetas appellatur. Quid ita? quoniam alienæ omnis utilitatis eo die oblitus, suæ ipsius gloriæ palam DEUS atque unice serviet. Alii dies hominum dies dici quodammodo possunt; quoniam per eos DEUS, eò tantùm potens, eò tantùm providens - eò tantùm bonus ac benignus fuisse videbitur, hominum ut commodis consuleret. Cùm autem dies illa, dies formidabilis illuxerit, sibi ipsi potens, sibi ipsi bonus; sibi ipsi benignus esse incipiet. Eam ob rem, diem illam, in sacris paginis, suam fore significat. *Dies Domini.*

*Zach. 14.*

Hæc

*Luc. 22.*

Hæc est hora vestra, aiebat Christus, nefariam illa Judæorum cohortem alloquens, quæ ad se comprehendendum ac vincendum accesserat. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Quidni liceat & mihi, Auditores, eam in sententiam affari vos, quicumque tandem adestis profanis mundi legibus addicti. Sunt hi dies, dies vestri, aut si vultis, facti sunt ac scelices dies vestri, dies illi quos in lætitiâ ac voluptate exigitis, dies illi, quibus lethiferâ mundi dulcedine ebrui nihil nisi fluxa falsaque ipsius gaudia cogitatis; dies illi, quibus eorum omnium, quæ ad salutem pertinent, prorsus oblitus, nihil, præter ambitiosa vestra consilia, animo volutatis; dies illi, quos in ludò, quos in amatoriiis artibus, quos in assiduâ consumitis libidine; sunt, inquam, dies illi, dies vestri, & cum falso existimetis, vobis solis eos illucere, tenebricosis operibus, & explendis cupiditatibus vestris impenditis, quos pia sibi opera, quos sancta Christiani hominis officia meritò sibi vindicant. *Hæc est hora vestra, &c.* Verùm expectate luctuosum illum diem, qui cæterorum omnium finis ac terminus esse debet; ut vobis nunc vestrum est, ita & DEO suum aliquando tempus aderit. Hoc autem postremum, illud ipsum est, quo vos ad suum tribu-

nal adesse jubebit. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Cum tempus meum arripuero, inquit DEUS, non solum sententias in me latas injuste, sed & eas ipsas, quæ mihi in speciem favent, judicabo; non peccata solum admissa contra legem meam, sed & falsas, quæ illa sunt consecutæ, pœnitentias; non vera solum flagitia, sed & speciosas & invalidas contritiones, confessiones instructuosas ac nullas; imperfectas, & innumeris noxis multo inferiores pœnas. Quoniam tempus meum aderit, judicia ipsa judicabo, judicia, inquam, falsa & erronea flagitioso ab homine, contra se ipsum, lata, seu cum sibi indulget, seu cum crimina excusavit, seu cum eadem purgare studuit. *Cum accepero tempus ego justitias judicabo.*

Et verò solius DEI est, Auditores, & petitoris & judicis, in suâ causâ, personam sustinere, idque citra ullam appellationis spem. Jus illud sibi non arrogant potentissimi Reges, aut eo certè non utuntur. Si qua fortè privatis de rebus, inter se, sibi que subjectos, controversia nascitur, æquitate planè Regiâ, non recusat eorum quisque judicis personam abjicere ad tempus, remque omnem liberi alicujus, mediij, ac minimè suspecti judicis arbitrio permittere. Id religio-

R. P. Bourd. Adv.

Y

ligio-



ligiosis principibus usuvenit. Quin & nonnulla ejusmodi æquitatis exempla, non sine magna animi voluptate, videre nobis contigit, & verbis etiam ornare. Sed quibus de causis remittendum quidpiam Reges censent de suo jure, ipsi dem DEUS adducetur in supremo judicio, ad jus suum retinendum integrè atque conservandum. Sunt rationes illæ tantipondetis, ut non possit non ijs permoveri quisquis eas cognitatas habebit, penitùsque perspectas. DEUS enim inquit Chrysofomus, in sua causa judicium faciet, quoniam illa eadem ab alio rectè judicari nequit. Judicium faciet in suâ causâ, quoniam injuriæ, sibi per peccatum illatæ, magnitudo, ab eo solo planè cognosci potest. Judicium faciet in suâ causâ, quoniam peccati gravitatem, eique debitas pœnas, præter DEUM, nemo intelligit; & infinita debet divinæ naturæ dignitas, utriusque esse mensura. Se ipse vindicabit ut DEUS, quoniam plenè à nullo vindicari potest nisi à seipso; quoniam alia quavis vindicta, levis fuerit atque imperfecta. Quoniam nullus superior, nullus æque intelligens, nullus æquè integer iudex, à quo plenam illam ac perfectam, pro suo jure, vindictam expectet. Se ipse vindicabit. addit Chrysofomus, que-

quoniam solus est naturâ suâ sanctus, solus laudabilis, solus in vindicandis offensis suis irreprehensus. Hinc illud, *mihî vindicta*. Quasi dicat; mihî uni vindicta reservata est. Mihî, cujus est & illam certis coercere finibus, & ut æqua sanctaque sit, perficere, non autem hominum, qui dum eam sibi sumunt, vertunt in crimen. Etenim cum seipsi homines ulciscuntur, efferrî irracundiâ, exacerbati, malignitati suæ indulgere, totas nativæ ferocitati habenas permittere solent, nec servare ullam in vindictâ æqualitatem; ut levem injuriam puniant, atrocem inferunt, in quo sibi & gratulantur & plaudunt. Igitur ratio postulat ut ipsos alius ulciscatur, quoniam ne id per se ritè efficiant, nimia prohibet mentis cæcitas, & ad injustitiam innata propensio. DEI unius est, iterum dico, DEI unius est, qui est sanctitas ipsa, suas per seipsum injurias ulcisci. *Mihî vindicta*. Sancta utique ultio! quæ cuncta ultionum nostrarum venia emendabit. Veneranda ultio! quæ eò tantùm spectabit, ut peccatum puniat, & in divino concepta pectore, honore nostro non minus, quàm ipsa DEI sanctitas, erit digna. Igitur non ex vanâ autoritatis ostentatione, inquit Chrysostronus, sed ex necessitate, ad causam suam per

Rom. 12.

seipsum judicandam. DEUS accingetur ; nec mysterium aliud divina hæc sententia continet ; *Exurge DEUS, & judica causam tuam.* Pergamus porro, & Prophetæ mentem subsequamur. *Memor esto,* inquit ille, *improperiorum tuorum.* Agite nunc Auditores, inspiciamus, idque singillatim, quænam sibi ingesta ab impio præbra, in supremo judicio sit recordaturus potissimum, & justis pœnis affecturus. *Eorum quæ ab insipiente sunt totâ die.* Extant illa Psal. 9. & 13. consignata ; atque hoc loco attentionem vestram omnem postulo. Quam ob causam, quærit Rex sanctissimus, DEUM impius ad iracundiam provocavit ? *propter quod irritavit impius DEUM ?* quoniam tres illas contumelias in DEUM, ratione & conscientia necquicquam reclamante, sciens ac volens, tacitè jactavit. (Aures advertite, & cavete, ne quid ex his quæ sum dicturus, vobis effluat) DEUM impius irritavit, cum dixit tacitè secum ; si DEUS existit, haud satis perspexit, aut, si perspexit, oblitus est flagitia mea. *Dixit in corde suo : oblitus est DEUS : avertit faciem suam ne videat.* Quæ contumelia est in ipsius providentiam, quam impugnavit, & cui se subtrahere voluit. DEUM impius irritavit cum dixit tacitè secum ; ut perspexerit

Psal. 12.

Psal. 9.

Psal. 9.

rit delicta mea DEUS ille, cujus minæ mihi proponuntur ad terrorem; ut ea habeat in memoriâ, negotium mihi non facesset, æternas pœnas non expetet tam levem ob causam. *Dixit in corde suo: non requiret.* Quæ contumelia est in vindicem DEI justitiam, quam sprevit impius, & cujus jugum conatus est excutere. Quid ager DEUS? discite, Christiani Auditores, quam in rem divinum judicium fieri oporteat. Istuc fortasse nunquam satis percepistis. Tribus prædictis contumelijs, quas habet in memoriâ irritatus DEUS, quàm graviter ijs offensus fuerit, tandem ostendet. Eò enim consilio homines judicabit, ut iidem vel invitati, agnoscant, nihil ignorasse DEUM illum, nihil oblitum esse ex occultissimis ipsorum flagitijs. Judicabit, ut impijs blasphemum os obstruat, dum planum faciet, DEUM illum, qui adversus peccatum odium gerit immortale, nihilo magis peccatorem in omne tempus impunitum relinquere posse, quàm desinere esse DEUM. Quas in res mentem defigimus, Christiani Auditores, si gravissima illa fidei dogmata, non affiduè meditamur.

Ex mero justitiæ studio, qua sibi DEUS quod suum est tribuere debet, illam di-

vinitatis notionem? in impiorum corde, per peccatum oblitteratam, restituet. Inde enim est, quòd postquam in naturæ paribilis assumptione, quæ humilitatis illius mysterium est, *DEUS* extitit *absconditus*, pro formidoloso illo sedens tribunali, de quo hodierna Evangelij lectio, cum omni regiae majestatis & gloriæ splendore, sese ostendet. Inde est, quòd apparebit innumeris Angelorum cohortibus stipatus, & in unum mortales omnes colliget, quòd ad ejus aspectum nemo non habebit pavore defixus; quòd astra defectione, elementa perturbatione etiam ac confusione suâ, supremum ipsius dominium testabuntur. Cur descendet in terras cum tali apparatu ac pompa? ut dicat, pro suo jure, inquit egregè Chrysostomus, ut dicat atheis, seu fide, si qui sunt ejusmodi, seu moribus quorum infinitus est numerus, quòd jam per Moysen pronuntiaverat, & tunc pronuntiabit manifestius. *Videte quòd ego sum solus, & non sit alius DEUS præter me.* Confitemini tandem me *DEUM* esse, quandoquidem, vobis frustra reluctantibus, pro me terrarum orbis armatus, summam, quæ vos, ad id in dubium vocandum, induxit, dementiam damnat. Confitemini me jam *DEUM* vestrum, quandoquidem  
vestra

*Isai. 45.*

*Deut. 32.*

vestra stolidè ferox impietas prohibere non valuit, ne in manus meas incideretis, & velitis, nolitis, judicij mei inevitabilis severitas, vobis est nunc subeunda. Confitemini me DEUM unum, quandoquidem principes illi, quos habuistis Deorum loco, quos velut idola quædam coluistis, nulli jam sunt coram me. *Videte quòd ego sim solus.* Quæ Deuteronomij verba, in divino judicio complenda sunt proprio sensu, nec vim unquam majorem videbantur & magis apertam habuisse.

Etenim in hac mortali vitâ (istuc asserit DEUS ipse) sunt principes velut totidem terrestres dij. *Ego dixi dij estis.* Pro-Psal. 2. hibent autem illi, inquit Chrysostomus, ne Cœlesti DEO, quod ipsius est, tribuatur. Dum regia majestas, dum diadematis splendor, hominum oculos assiduè præstringit, dum stupent in ijs, dum se ad Deos illos aspectabiles arctius adjungunt, dum ijs unis animum occupant, venit in oblivionem ille ipse, cujus sunt imagines quædam, & est supremus mortalium omnium regnator. At enim Dij illi terrestres, in supremo judicio, pudore confusi, abjecti ad Christi pedes argumento erunt impijs longè validissimo, DEUM existere, commentitijs illis dijs superioriorem. *Excelsus super omnes Deos;* Psal. 41. hoc est, DEUM, qui necessariò, qui unicè,

*Ysai. 2. 21.*

unicè , qui in omnem æternitatem sit  
 DEUS. *Exaltabitur Dominus solus in die  
 illâ.* Quasi dicat Iaias , in illâ die , solus  
 DEUS & erit , & videbitur magnus.  
 Quidquid DEUS non est , exiguum , hu-  
 mile , abjectum , atomi instar , *tanquam  
 nihilum ante illum.* Sensus est , in illâ die ;  
 depressa cernentur humana quæque fasti-  
 gia , eversa fortunæ omnes , folia cuncta  
 dejecta , obliterati honorum tituli , ordi-  
 nes & gradus omnes confusi. Solus in  
 omnibus eminebit , solus regnabit DEUS.  
*Exaltabitur Dominus solus.* Neque hoc  
 satis est.

*Psal. 83.*

Quoniam dixit tacitè secum impius ; aut  
 ignoravit , aut est oblitus DEUS flagitia  
 mea ; ut gemina illa confutetur , de divi-  
 na providentiâ , opinio , ostendet DEUS ,  
 nihil latere ipsum , nihil ipsum oblivisci.  
 Ideò enim in die illâ lucidâ palam faciet  
 quæcumque impij sibi falsò persuaserant ,  
 æternis illum tenebris mandâsse. Ideò  
 opprobria ipsorum omnia , ignominiam  
 omnem constituet in omnium gentium  
 conspectu. Flagitia illa sœda atque pu-  
 denda ; flagitia , quæ illo ipso tempo-  
 re , quo committebantur , erubescer-  
 bant vel inviti ; flagitia , quorum vel le-  
 vissimam suspicionem ægerrimè tulissent  
 in se consistere ; flagitia , quæ amico-  
 rum

tum prudentissimo ac fidissimo fateri nunquam sustinissent; flagitia, quæ palam facta, infamiam illis inuississent nullo unquam tempore eluendam, & quorum exprobratio, minus ipsis tolerabilis fuisset, quàm mors ipsa. Hæc, inquam, omnia DEUS aperiet. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam.* Nusquam, inquit ille, nusquam faciem averti à sceleribus tuis. Vidi ea, vidi tametsi horrore essent, & ne obliviscerer, scripsi in hoc vitæ & mortis, qui nunc profertur, libro; & ijs literis scripsi, quæ deleri nunquam possint. Tot facta turpia & honesto viro indigna, tot clandestina latrocinia, tot tetras perfidias, tot abominanda crimina, quibus vitam omnem inquinasti; *Nonne hæc condita sunt apud me & signata in thesauris meis?* illos utique cœlestis iræ thesauros aperiet DEUS, cum mortales omnes ad suum tribunal vocabit. Atque ita ulciscetur injuriam, quam ipsi inferunt homines impij cum credunt, aut credere volunt, oculis veluti captum, res humanas non curantem DEUM; idolis illis *quæ oculos habent & non vident*, haud absimilem DEUM. Denique quoniam ita secum impius; quantumvis DEO nota & perspecta sint peccata mea, rationem eorum à me non reposcet, æternis supplicijs non addicet tantillam ob-

Nabu. 3.

Dent. 32.

Y s rem,



rem, in id sibi DEUS incumbendum, quasi ex officio, ducet, ut justitiam sanctitatemque suam ab hac vindicet impietatis labe. Qua autem ratione? cum ager in impium summo jure: cum crimina ipsius nulla prætermittet, nulla condonabit, cum ea puniet omnia, & pro sua quæque gravitate; uno verbo cuncta ut completar, cum faciet, ut omne sentiat judicij hujus immisericordis pondus, cujus vel sola cogitatio horrorem incutit, integramque postulet concionem, si severitatem illius omnem verbis explicare contendam; judicij, inquam, immisericordis, quod DEUS exercebit, sed adversus ea potissimum flagitia, in quibus homines mundani & impij, ut impunius peccent, quoddam sibi Religionis systema statuere non dubitant, DEUM comminantes ipsorum cupiditatibus accommodantem sese, coniventem ipsorum vitijs, indulgentem & commodum, qui in sua crimina nunquam inquirat, DEUM. *Dixit enim in corde suo: non requiret.* In superbissimum enim illud hominum genus, severitatis suæ aculeos potissimum exeret supremus ille Judex. Quid ita? quoniam sanctitas, quæ maximè veneranda est. DEI perfectio, eximenda calumniæ erit atque purganda. *Quoniam veritatem requiret Dominus; & retribuet abundanter facientibus superbiam.*

*Psal. 30.*

Hæc

Hæc sunt, homines flagitiosi, quæ vobis in divino judicio magis formidanda videri debent. DEUS offensus, qui sibi ipse de offensis suis satisfaciet. DEUS spretus, qui injurias ipse suas ulciscetur. Hæc sunt, quæ sanctissimos quosque viros terrore affecerunt maximo. Verumenimvero quantumvis peccatis onusti, animum erigite; hæc vos cogitatione reficite; quò res cumque vestræ fuerint locò, adhuc vobis perflugium superest, idque certissimum, pœnitentia videlicet Christiana. Amabilis utique pœnitentia, inquit Bernardus, per quam in me est situm, ut DEI judicium prævortam! felix pœnitentia, inquit ego, per quam DEUM ulcisci, DEUM placare, DEO satisfacere licet; adeò ut, cum judicaturus veniet, jam ei sit à me satisfactum, jam sit à me judicatus, nec necesse habeat, per seipsum vindicare injurias suas, per seipsum sibi ipsi satisfacere. Sic est, Auditores; ut id efficiat pœnitentia nostra, omnes solida veræque pœnitentiæ proprietates habeat oportet. Debet accurata, fervida, efficax, severa esse; debet peccatorum nostrorum gravitati ac multitudini respondere ex æquo; alioqui nec satisfacere DEO, nec ipsum unquam ulcisci licebit: nimidò possumus cœlestis judicij severitatem redimere? possumus queri, graviora  
exi-

exigi à nobis , ubi de nostrâ agitur càm irato Numine reconciliatione ? verum quidem est , DEUM nobiscum acturum , pro judicij ratione , quam tenemus erga nosmetipsos in agendâ pœnitentiâ ; nec parciturum , si nobis parcamus. *Sibi parcenti ipse non parcit* , ait Augustinus. Sedenim è contrario hinc consequitur , si mihi ipse non fuero indulgens , DEUM fore indulgentem ; si mihi ipse non pepercero , DEUM mihi parciturum. Si rigida sit pœnitentiâ mea , judicium ipsius mihi favorabile futurum , denique si nobismetipsi judices molliores non fuerimus , DEUM nobis mitem ac misericordem fore. Quid autem mihi melius possit esse in optatis ? ah ! indignus sim , Domine , misericordiâ tuâ , si dura videatur hæc conditio , imò si rigidissimæ pœnitentiæ labores non numerem in maximæ felicitatis parte ; & , non dico injustissimus , sed mortalium dementissimus meritò habeat , si molli ac remissâ pœnitentiâ , judicij tui severitatem vitari à me posse confidam.

Sic vos ratiocinari oportet , Auditores ; ac si reperiantur in vobis , ex illo depravatorum hominum genere , quorum impietas eò sit progressa , ut DEUM , non jam agnoscant ullum , facere non possim , quin illos his verbis compellem. Audite ,

Fra-

Fratres, ô vos, quorum salutem mihi  
 meâ vitâ potiore esse decet, & ad quos  
 revocandos in viam, zelo, si fas est ita  
 loqui, sentio me inflammari prorsus divi-  
 no; vos, pro quibus, si liceat, etiam  
*anathema.* Pauli Apostoli exemplo, esse  
 non recusem. *Audite, inquam, hodie*  
*Domini vocem, & nolite obdurare corda*  
*vestra.* Ille ipse, quem non agnoscitis,  
 DEUS, habet adhuc residua quædam  
 gratiarum auxilia, quæ vobis impertiat;  
 ut non est, *manus ejus abbreviata*, per il-  
 lum non stabit, quin pœnitentiâ, lacry-  
 misque vestris flectatur. Cujus rei admo-  
 dum suave argumentum esse potest, & ve-  
 lut certissimum pignus, patientia illa  
 tanta, qua usus est in perferendis peccatis  
 vestris. Tametsi judex est in vos charita-  
 te planè paternâ: misericordiæ suæ divi-  
 tias ostendere amat in flagitiosis, vestri-  
 que similibus impijs. Quantumvis of-  
 fensionis fuerit atque scandalo vita vestra,  
 in vobis nihilominus situm est (& quis scit  
 an qui inter vos maximè impij, in id ip-  
 sum non elegerit DEUS?) in vobis, in-  
 quam, situm est, *ut vasa sitis electionis.*  
 Redite in viam, & humili confessione  
 horrendæ cæcitatæ, in quam estis per  
 peccatum prolapsi, perficite, *ut gratiam*  
*in DEI oculis tandem inveniatis.* Vestra  
 mutatio & in ejus gloriam, & Ecclesiæ  
 cedit

Rom. 9.

Psal. 94.

Isai. 59.

Act. 9.

Gen. 18.

cedet utilitatem. Tuo nomine loquor, DEUS optime, neque vereor, ne in tua misericordiâ prædicandâ, finem & modum transeam; illa siquidem infinitis partibus adhuc superat charitatem, qua eos complector. In supremo iudicio sibi ipse DEUS quod suum est reddet; hoc docui; Electis, quod ipsorum est, qua sit ratione redditurus, jam superest ut doceam.

## PARS II.

**D**IXI, quod constat, sacrâ id scripturâ attestante, omnia Electorum præcipuè causâ molitum esse DEUM, eorum causâ aspectabilem hunc mundum condidisse; conservari eorum causâ, illi si desint, destruendum. Consiliorum ipsius omnium finem ac scopum eos esse. Denique seu naturæ, seu gratiæ, seu gloriæ à DEO constitutus ordo spectetur, nihil non ad eosdem dirigi atque referri. *Propter electos.* Fatendum tamen, istuc ipsum, quod est tam honorificum electis, non perficiendum propriè nisi in supremo iudicio. Nam, ut ait Chrysostomus, si unâ cum corpore animus extinguitur, nec ulla sit vitæ melioris spes; si nullum nos DEI iudicium expectet, non faciliè intelligas, quid tam singulare sit electis privatim à DEO concessum. Quin potius sæpe tibi in animum inducas, haud sine causâ, nihil prorsus, certè perparum propter electos,

*Timos. 2.*

Etos, tantum abest ut cuncta propter ipsos ab eo facta credantur. Quippe electi, quamquam nobilis DEI portio, non eum quoad vivunt, gradum tenent, eos qui secernat mortalium vulgo, & singulare in ipsos divinæ providentiæ studium & amorem ostendat. Imò stupendo DEI consilio, quod sibi tentationis & anxietatis materiam fuisse, Psaltes Regius confitetur, electi, hoc est iusti, dum manent in vitâ, sæpe calumnijs, quæ est hominum malignitas, lacerantur, & habentur pro impostoribus, tantum abest ut pro iustis ac sanctis habeantur. Electi, hoc est humiles, quoad vivunt, non modò non sunt in honore, verum etiam sæpe laborant contemptu, sæpe illuduntur. Electi, hoc est, Pauperes, dum vita manet, sæpe excluduntur divitum limine; sæpe jacent deserti ab omnibus, tantum abest eorum ut egestati subveniatur. Electi, hoc est, vulgò imbecilles à potentioribus opprimuntur, nedum in ipsis præsidium & opem inveniunt. Hæc autem omnia non congruere videntur & cohærere cum amore illo peculiari, quo dicuntur prævertendi à DEO. Constant hæc quidem, inquit Chrysostomus; at ex eo ipso colligitur divini iudicij necessitas, Quorsum enim venturum olim dixero, supremum illum Iudicem Christum? nempe ut electis

ctis

ctis suis tribuat quæ fuerint circa res illas quatuor, ab hominibus negata. Igitur habebunt in eo justi vindicem, qui & eosdem ab impostorum secernat numero, & detestabile simulationis regnum in perpetuum exterminet. Habebunt humiles in eo vindicem, qui debito ipsos honore, superbos ipsorum contemptores æterno dedecore & ignominia afficiat. Habebunt in eo vindicem Pauperes, qui barbaram locupletum immisericordiam miseram in luctu & egestate vitam trahunt; sed quorum gemitibus surdum se nunquam fuisse, satis ostendet. Habebunt imbecilles in eo vindicem, qui oblatas illis, quæ hominum improbitate, quæ vi, quæ autoritatis abusu, injurias ulciscatur. Sunt enim, Christiani Auditores, hæc causæ præcipuæ, si ad prædestinatos respiciamus, ob quos DEUS ille vindex venturus dicitur in sacris litteris. Aures & animos, prout ad quemque vestrum res attinget, rursus erigite. Habebunt justi in Christo vindicem, qui eos ab impostorum & hypocritarum secerneret numero, quemadmodum *Pastor oves segregat ab hædis*, ut Christus ipse ait in Evangelio. En quod electis suis primum tribuet summus Judex. Hac enim in vita permisceri videas & confundi omnia, virtutem cum vitio, cum scelere innocentiam, veritatem

*Matth. 25.*

tem cum mendacio, cum hypocrisi Religionem; qua in rerum perturbatione atque confusione, patitur justus, impius triumphat.

Porro cum de hypocrisi loquor, non eam duntaxat intelligo, quæ pietate abutitur ad famam sanctitatis colligendam. Sumitur à me, prout latius patet. Qui locus moribus vestris informandis tam est accommodatus, ut vos vel invitos, fateri fortasse mox cogam, hoc vitii genus non esse vobis usquequaque incognitum. Etenim hypocritam etiam omnem appello, qui splendida virtutis specie occultat, ex arte, vitæ nequioris flagitia; & eo sensu per omnes hominum condiciones falsam esse hypocrisim quis neget; pluresque inter profanos mundi amatores reperiri impostores & hypocritas, quam inter eos, qui à pietate quam profitentur nomen habent. Quot enim scelerati sub assumulata latent virtutis larva? quot vitiosi, & flagitiis omnibus cooperti dant se videndos cum omni probitatis fastu & ostentatione? quot sycophantæ in sua etiam sinceritate venditandâ insolentes? quot perfidiosi ac proditores, in fide & amicitia fingendâ industrii? quot voluptarii maxime obscenis libidinibus constricti,

*R. P. Bourd. Adver.*

Z

me-



morum affectant, quasi pro suo jure, san-  
 ctimoniam etiam austeriorem? quot li-  
 centiores sceminae, suae existimationis  
 superbè studiosae, & quae in scedas con-  
 suctudines immersae, severioris pudicitiae  
 famam solertissimè tuentur? quot, vice-  
 versâ, innocentes, falsis criminibus ar-  
 cessiti ac damnati? quot DEI famuli,  
 quae est saeculi perversitas, maledictis &  
 calumniis appetiti? quot sinceri Numi-  
 nis cultores habiti vulgò inter hypocritas,  
 inter vafros rerum occultarum molitores,  
 inter cupidos, & quos in cunctis  
 quæstus ducit & lucrum. Quot veræ  
 virtutes in dubium vocatae? Quot bene-  
 facta ore maledico notatae? quot detor-  
 ta & aliorum accepta? quod posita in  
 vitiis? hæc autem omnia, inquit Chry-  
 sostomus, aperiet nudabitque iudicii  
 dies. Qualis est reipsa unus quisque,  
 talis tunc videbitur; suus cuique locus  
 ac debita sedes tribuetur. *Manifesta sient*  
*consilia cordium; & tunc*, inquit Apo-  
 stolus *Laus erit unicuique à DEO*. Fatali  
 illâ ac decretoriâ secretionem frumenti à  
 zyzaniis (audite Jobi oraculum, quod  
 complebitur ad litteram, & pars quæ-  
 dam eorum erit, quæ DEUS electis suis  
 tribuet) Fatali, inquam, illâ & de-  
 cretoriâ secretionem vana hypocritæ gau-  
 dia finem invenient, spes ejus omnes

2. Cor. 4.

eva-

evanescent. Funesta, sed justa DEI  
comminatio! & *gaudium hypocrite adin-* Job. 20.  
*star puncti.* & *spes hypocrite peribit.* Gau-  
det hypocrita tacite secum, observari se  
& colli passim ab omnibus, dum ipse  
suum omnibus facit. Gaudet florere se  
gratia & autoritate haud aliter paratâ,  
quam quod callidissimus est praestigiator,  
& commodè, quasi in theatro, prohi-  
hominis personam sustinet. Gaudet, id  
se, longo simulationis artificio, perfe-  
xisse tandem, ut veteris sanctimoniae de-  
bitus honos, & solium quasi vectigal  
sibi pensitetur; ut eisdem, quibus orna-  
ri par est veras virtutes, praemiis done-  
tur, citra virtutem ullam. Sunt autem  
haec omnia quae in sacris litteris prospe-  
ritates, gaudia, regnum hypocrite vo-  
cantur. Atenim in die judicii, illud Job. 34.  
hypocrite Regnum destruetur, prospe-  
ritates evanescent; horrendum in mœ-  
rorem gaudia vertentur. Nituntur illa  
errore simpliciorum hominum, quorum  
oculos mendax virtutis fulgor praestrin-  
gens, in fraudem deauit incautos; ve-  
rumenimvero postquam simplex illa mor-  
talium credulitas sic delusa fuerit ad  
tempus, errorem postmodum caelesti  
luce depellente, perbreuem latitiae sen-  
sum, inde haustum ab impostore in-  
gens pudor & opprobrium subsequetur.

Sperat hypocrita, se nunquam penitus cognitum iri, & detestandâ simulandi arte, se fucum hominibus semper facturum; tunc nihil magis ipsum anget, quàm cum videbit nullum jam fucò & fallaciis locum esse; nullas jam tenebras, quibus obtegat vitæ turpitudinem; de tractam vitiis larvam; patere præstigias & pectus mortalium omnium oculis. *Spes hypocrita peribit.* Cæteri DEI hostes, cum, quales sunt, tales reipsa apparent, vel ob id ipsum, quod noti sunt omnibus, judicii, dedecorisque ex eo suscipiendi; partem haud minimam jam subiêre. At hypocrita, cui ponenda tandem erit falsæ hujus, quæ se ornat, gloriæ persona. At fæminâ illa, quæ pudica habetur & cujus occultæ libidines ex latebris atque tenebris tandem erumpent; at magistratus ille, illud, si superis placet, austerae integritatis specimen, cujus innotescant tot contra æquitatem admilla peccata; at sacerdos ille, omnium opinione atque calculo, sanctorum in numero locatus, cui supremus judex solutioris vitæ flagitia palam exprobrabit; at vir ille, honesti in speciem & recti, si quis alius, rigidus cultor, & cujus fraudes ac doli mali publicam in lucem proferentur; at amicus ille, cujus in fide & charitate præ-

præsidium omne reponis, & cujus fœdæ  
 prodiones claræ, apertæ, & contestatæ  
 erunt omnibus; at quisquis aliis imponit,  
 boni naturam fallaciter imitando, tunc-  
 que eogetur, vel invitus, ereptum veri-  
 tati decus nitorémque suum propalam  
 restituere, hi inquam, omnes, quale,  
 & quàm formidabile DEI judicium sunt  
 experturi? hæc quidem verissima. At  
 contrariam ob causam, non tole-  
 rabile modò, sed & acceptum, sed &  
 honorificum, sed & expetendum atque  
 optabile electis erit idem D E I judi-  
 cium. Honori quippe ducent, inquit  
 Chrysostomus, Angelorum & hominum  
 oculis patere pectoris sui intima: honori  
 ducent, imò votorum omnium cumulus  
 erit, discerni tandem cogitationum actio-  
 numque suarum sinceritatem. Honori  
 ducent pernosci ab omnibus, quoniam  
 malorum, quæ perpetiuntur, causa est  
 & origo alia nulla, quàm quòd satis noti  
 non sint aliis satisque perspecti. Atque  
 hæc cogitatio vos ô Christiani Auditores,  
 quot quot pravis sæculi legibus, & exem-  
 plis generosè obnixi, DEUM colere in-  
 stituistis *in spiritu & veritate*, hæc, in- *Joan. 4.*  
 quam cogitatio sustentare vos debet &  
 præsentia malla haud mediocriter leni-  
 re. Cùm illuxerit fatalis illa dies, qua,  
 jubente DEO, mortalium omnium corda

nuda & aperta erunt, spes vestra supremi  
 Judicis erecta conspectu, jamjamque im-  
 plenda, mœtorem omnem absterget, ac-  
 ceptaque injustè à mundanis hominibus in-  
 commoda affatim, & amplo cum sœnore  
 pensabit, dum impius pudore confusus,  
 turparus, stupens, capite & oculis in ter-  
 ram dejectis, vix consistet, vos sanctam  
 quandam confidentiam apertè præferetis.  
 Quid ita? quoniam aderit dies, qua exi-  
 mendi estis falsis hominum judiciis, pa-  
 lamque purgandi. Livor & calumnia,  
 venenatis suis telis, vos nunc appetunt;  
 tunc livori os ocludetur impium; aut,  
 si quid eloquendi facultas dabitur,  
 sed tantùm dabitur, vestram ut causam  
 defendat. Tunc jacebit mendacii con-  
 victa calumnia; emersa veritas pulchrior  
 enitebit, nudamque sese, & fuci, qua-  
 lis est, expertem ostendet. Interea frui-  
 mini vitæ vestræ conscientiam, quæ pluris  
 vobis esse debet, quàm præclara morta-  
 lium omnium præconia. Dicat vestrum  
 quisque cum Apostolo Paulo, bene an-  
 malè de me nunc homines existiment,  
 parum laboro, cum mihi DEUS sit fu-  
 turus olim judex. *Qui autem judicat*  
*me Dominus est.* Aut cum Jeremiâ, tu  
*Domine, qui judicas justè & probas renes*  
*& corda. Tibi revelavi causam meam;*  
 tuum erit de me pronuntiare. Pergamus  
 ad reliqua. Habe-

1. Cor. 4.

Jerem. 2.

Habebunt humiles in Christo vindicem, qui contemptam laudem & gloriam meritis impetiat. Atque hoc alterum est è bonis illis, quæ ab æquo illo iudice restituenda electis diximus. Voluntariam illam iusti hominis demissionem, illam simplicitatem, & inferendis injuriis, sine ullo vindictæ appetitu, æquabilitatem, quæ mundanis partim mentis imbecillitas, partim animi abjectio videtur, Christus iudex ornabit, ostendetque propalam, veram in eâ fortitudinem, veram, magnanimitatem, veram sapientiam extitisse. Tunc enimvero, ait Spiritus Sanctus, (quod est à vobis non sine aliquo pietatis sensu, toties auditum, *tunc humiles corde*, in eos à quibus nunc spernuntur, quibus ludibrio sunt, confidenter insurgent. *Tunc stabunt iusti in magnâ constantiâ.* Tunc illi, mundi iudicio, sapientes, qui mortales cæteros ingenii robore antea videntur, non mirabuntur solum, sed & hærebunt stupore defixi, cum egregios illos Christi imitatores, quos nunc habent pro mundi quisquiliis, ovantes conspicient & splendissimis foliis insidentes. Tunc insperatâ rerum novitate perclusi ac consternati, ita secum crebro cum gemitu, *hi sunt quos habuimus aliquando in derisum. Nos insensari vitam illorum estimabamus insaniam.*

Matth. 22.  
Sap. 5.

ibid.

*Ecce quomodo computati sunt inter filios DEI, & inter sanctos fors illorum est. Tunc, inquam, testimonium illud, quamvis coactum, electorum humilitati mundana dabit superbia; illam Christi Domini promissionem aperto eventu comprobante; omnis qui se humiliat exaltabitur.*

*Luc. 14.*

In hac quippe vita non semper imò raro fit, ut qui se volens deprimat, extolatur. Videas, qui quamquam verè humiles, ad ultimam ulque vitæ metam abjecti jacent miserèque depressi. Videas, qui DEUM vocantem sequuti, & vitæ sanctioris illecti studio, abscondere se in avias solitudines, ubi velut sepulti, penèque nulli hominum oculis, Cœlestis agonothetæ signum intenti expectant.

*Coloss. 3.*

Quam multi apprimè religioni, *quorum vita abscondita est cum Christo*, quique, ob mundi delicias generosè proculcatas, pluris apud mundanos homines non fuere. Eam ob causam, inquit Chrysostomus, & esse iudicium oportet, & erit.

*2 Cor. 12.*

Quoniam Christianis illis qui vitam exigunt perfectiorem, qui fluxam & caducam DEI causâ mundi gloriam abjecere, æquos se non præbent homines mundani, *qui fidelis in verbis suis videri vult, quod ipsorum est largo cum scœnore, DEUS tribuet.* Quoniam sunt, quorum animi demissè

demissio, quamquam sincera, nec noscitur, nec ornatur pro merito, quod hominum, perit illis iniquitate, supplebit DEUS, dum extollet & ita extollet, ut mundani homines falsa gloria, ridicula vanitas, superba ambitio, à Christo iudice damnata, sanctissimis Evangelii placitis sese invita ac renitens submittat; sic quando positum est, ut simul ac humilis quisque Christi discipulus attollitur, superbus deprimatur dæmonis imitator, & afficiatur ignominâ nunquam eluenda.

*Qui se humiliat exaltabitur; & qui se exaltat humiliabitur.* Neque hoc satis est.

Habebunt pauperes in Christo vindicem, qui, depulsâ paupertatis illuyie, beatos ipsos efficit. Atque hoc tertium est è bonis illis, quæ sunt electis à DEO tribuenda. Atenim fide constat non dandos pauperes æternæ oblivioni. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis* Fide constat pauperum *patientiam non perituram in finem*, hoc est, suo fructu ac præmio non esse æternùm fraudandam. Attamen liquet illa duo sancti Spiritûs promissâ non semper hac in vitâ completi, imò ne vulgò quidem. Quot enim pauperes oblivioni dantur? quot vivunt omni prorsus ope destituti? quæ oblivio eò magis deploranda, quòd voluntaria est, atque adeò culpanda. Rem ipsam planius expo-

*Psal. 9.*

*Ibid.*



namus. Quot miseri ad summam rei familiaris angustiam redacti, quibus non subvenitur à locupletioribus, quia nec nō sunt ipsos, nec nōsse magnopere laborant? gravissimam ipsorum egestatem si cognitam haberent, charitatis Christianæ, vel inviti, memores essent, certè humanitatis. Ad feralem eorum conspectum, luridamque maciem pudori essent crebra commestationes, blandiora corporis obsequia. Ipsi sibi exprobrarent profusos sumptus, meritoque damnarent. Sed quoniam ignorant quæ pauperes mala circumveniunt; quoniam de iis nolunt inquirere; quoniam ferre nequeunt eorum mentionem; quoniam averfantur arcēntque à relictis, extra culpam se putant quia obliviscuntur, & quantumvis, gravia sint, ad eorum mala pectus obdurefcit. Quot verè pauperes repelluntur, ut subdoli egestatis simulatores, dum nemo falsis veros dignoscit, aut dignoscere studet? quot pauperes sancti, quorum lachrimabiles gemitus ad nos usque non aspirant, & quibus aures ad eos audiendos non admoveamus? quot languent in provinciis derelicti? quot mœrore perditii in ergastulis? quot in nosocomiorum situ ac fœtore contabescunt quot privatis domibus ingenuus pudor includit? ex jis ipsis quorum nec dubia est, nec obscura egestas, sed pas-

passim obvia? quot negligi videas, quot acerbius accipi? quot DEI famuli, quibus nihil non desit, dum in rerum omnium abundantia, improbus quisque indulget luxui, voluptatibus perfluit. Si nullum esset iudicium futurum, posset utique pauperies, barbaram divitum immanitatem vexata, divinae providentiae scandalum vocari; sed enim eam ipsam ob causam, inquit Chrysostomus, iudicium severum ac rigidum divites manet. Intelligebat hoc Plates Regius dum in ea verba prorumpens, *cognovi*, inquebat, *quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.* Unde autem istuc cognoverat, ex eo quod pauperum patientia, quo sensu iam dixi, cum perire in finem nec possit, nec debeat, necesse fuit iudicium haberi in quo innotesceret non perire reipsa; hoc est, DEUM rationem ipsius habere tantam, quantam ab æquissimo Domino expectare pro suo jure potest. *Patientia pauperum non peribit in finem.* iudicium in quo illa non solum bonorum inæqualitas, per quam factum est ut egerent, pensetur à DEO, sed & patientia ipsorum indignum in modum tentata, atque vexata abundè vindicetur. Eam ob causam *exurgam*, inquit DEUS ipse; quoniam videlicet pauperum querelis, quibus aures acpectus divites occludunt, accensa erit iracun-

Psal. 150.

Psal. 9.

cun-

Psal. 11.

Fundia mea, tandem effervescet atque e-  
 fumpet. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.*  
 Hi pauperum gemitus, qui aures meas  
 assidue pulsant, vindictam orabunt, nec  
 conditoris ac Judicis partes satis functum  
 me putabo, nisi cum, salutari ipsis sen-  
 tentia dicta, nullam in barbaros eorum con-  
 temptores misericordiam moveri me sinam.  
 Quis non credat cum hac in sacris litte-  
 ris legit, Judicium illud extremum,  
 quamquam commune omnibus futurum  
 sit, ad pauperes unos attinere, ad eorum  
 vindictam unam dirigi, *propter miseriam  
 inopum & gemitum pauperum.* Si modum  
 & rationem attendas, qua judicis munus  
 obiturus Christus dicitur, quis non exi-  
 stimet, in unam pauperum curam Judicium  
 omne verti oportere: aeternum morta-  
 lium omnium sortem ex ea una necessario  
 pendere; hoc est, alios aeternis suppliciis  
 addicendos, quia pauperum miseriis sub-  
 venire negligunt; alios, quia subve-  
 niunt, Coelesti gloria donandos esse. Me-  
 ritum igitur *beatum* hinc Propheta colligebat  
 eum esse, *qui super egenum & pauperem in-  
 telligit.* Quid ita? *quoniam in die mala  
 liberabit eum Dominus.*

Psal. 40.

Sed jam finis sit, si, prius infirmos addi-  
 dero vindicem pariter habituros in Christo  
 qui acceptas a potentioribus injurias ulci-  
 scatur.

scatur. De quatuor enim, quæ diximus  
tribuenda electis, hoc extremum est. A-  
pud homines homo graciosus causam ple-  
rumque obtinet. Qui valentior, ab eo  
semper jus stat, quidquid id est quod susci-  
pit; & quia valentior, nihil non, quasi  
pro suo jure, suscipit vincitque. Quot  
procellæ, quot vexationes, ex autori-  
tatis abusu, profectæ? quot calamitosi,  
quot viduæ, quæ, quia destitutæ præsi-  
dio, gratiæ, cæu victimæ quædam inno-  
centes, mactantur? quot pupilli quorum  
hæreditas, post longas litium ambages,  
in avidi cedit litigatrois prædam? quot  
domus subversæ funditus, quia defuit,  
qui æquitatem, contra adversæ partis po-  
tentiam, tueretur? quot causæ justæ,  
victæ tamen, quia blandæ iudicium pren-  
sationes, quia molitiones clandestinæ,  
quia partis ejusdem studia prævaluerunt:  
nunquam non succumbit invito jure ac le-  
gibus, qui autoritate & gratiâ minus va-  
let. Si sunt iniqui Iudices, contra eum  
semper, nunquam propter eum corrumpi  
se sinunt. Vel eo nomine quod est gratiâ  
& autoritate inferior, infelici quodam  
fato, adversari cuncta illi, nihil adjuva-  
re. Obtinebit tamen apud te Domine  
DEUS, obtinebit apud te iudicem, quod  
illi apud mortales iudices negatum erit.  
Exurges enimvero æquitatem spirans ac-

Psal. 9.

zelum, orphanoque futurus adjutor, ut po-  
 tentes, ut principes viri, qui potentia  
 atque opibus toties abutuntur effere se  
 insolentius desinant. *Judicare pupillo &*  
*humili, ut non apponat ultra magnificare se*  
*homo super terram.* Ad eam usque diem  
 ipsorum causa semper victrix erit: ad eam  
 usque diem secundis successibus inflati,  
 quia nihil ipsis obsistit, non potentia so-  
 lum, sed dexteritate ingenii, sed causa  
 æquitate superiores aliis videbuntur, &  
 nullo non honore digni: ad eam usque  
 diem gloriae ducent illi, & in virtutibus  
 numerabunt facta sua quæque etiam vio-  
 lenta; sed quàm graviter sua falsi opinio-  
 ne sint, tunc facile docebis, & elatos fe-  
 rocesque animos contundes ac comprimēs.  
*Ut non apponat ultra magnificare se.* Qui  
 autem id fiet? quia videlicet famuli illi  
 tui humani præsidii inopes, vindicem,  
 ac patronum in te maniscuntur, qui dura  
 potentiorum servitute ipsos eximens, æ-  
 ternam asserat in libertatem. Maneat igitur  
 à summo Judice DEO reddendum ele-  
 ctis quod est suum. Supremam judicii  
 diem & consummatæ redemptionis, &  
 sempiternæ gloriae principium ipsis fore.  
 Quæ nos læva & inconsulta mens trans-  
 versos agit, Auditores Christiani, si  
 cum istuc habeamus persuasum, hæremus  
 tamen desides in terris, nec enitumur om-  
 ni-

ni ope fortunatis illis prædestinatorum  
turmis adjungi? ecquid agimus, ecquid  
molimur, si pravis mundi legibus, excuf-  
fis, non curamus, ut unà cum illis DE I  
electis, qui tantà confidentiâ Christi Ju-  
dicis conspectum sustinebunt & nos etiam  
annumeremur? en autem ratio ac via qua  
id certò perfici possit, eritque concionis  
hujus legendus à vobis fructus. Agite  
jam nunc in vobis ipsi quod DEUS olim a-  
cturus est electorum gratiâ. Sejunget eos  
ab hypocritarum & impiorum numero;  
sejungite vosmetipsi ab jis, solidæ veræ-  
que pietatis studio. Humiles exaltabit:  
*humiliamini*, inquit Petrus Apostolus, *ut*

*Luc. 16.*

*vos DEUS exaltet in tempore visitationis*, hoc  
est, in die judicii. Pauperes ditabit & bea-  
tos efficiet: ferre opem indigentibus: le-  
vate ipsorum miseras: *facite vobis illos a-*  
*micos*, ut sint apud Judicem Christum in-  
tercessores ac patroni, & *in aeterna vos re-*  
*cipiant tabernacula*. Infirmos ac præsidii  
inopes à potentioribus oppressos vindica-  
bit. Estote illis præsidio, & pro acce-  
ptâ potestate, patroni. DEI exemplo, & pu-  
pillo, & viduæ adjutores & tutores estote.

*Petr. 5.*

Vos vero justî, humiles, pauperes,  
infirmi, capita DEO longè carissima, con-  
solamini vosmetipsi ac sustentate, expe-  
ctatione die illius, quæ non DEI solum  
futura dies est, sed etiam vestra. Non  
quòd

quòd vobis formidandum non putem divinum Judicium, quis enim illud non formidet? sed ita formidate, ut ad illius desiderium, amorem, ac spem firmam simul exardescatis. Cur enim non ameteris quòd vos omnibus humanæ vitæ ærumnis exsolvet? cur non exoptetis quòd duram facili servitatem propulsabit à vobis? cur id non speretis unde æterna vestra felicitas initium est captura? DEI itaque judicium extimescite, sed eo timore qui amorem ac fiduciam secum adjunctam habeat. Judicium extimescite, sed quo pacto DEUS ipse extimescendus. Fas non est vobis DEUM metuere eo metu, qui amorem excludat. Ipsum metuendo, eundem ameteris necesse est, & impensius multò quàm metuatis. Alioqui timor ille vester, ut est servilis, ne ad salutem quidem sufficiat. De divino judicio idem statuendum. Metuamus illud, Christiani Auditores, at metu qui efficax sit? qui nos reducat in viam; qui vitia nostra emendet; fervorem exsuscitet; ad omnia denique Christianæ pietatis officia haud segniter impellat. Ita fiet, ut ad supremi Judicis detexam collocati, salutiferas illas, solatiquo plenas voces ex ore ipsius sacrosancto excipere mereamur; *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Amen.